

The Digital *Viridarium consolationis* Project

Pars 2: De aliis peccatis Caput 14: De multiloquio (9)

Idem (Gregorius):

Mens absque muro silentii undique patet iaculis inimici.

Quia enim murum silentii non habet, patet inimici iaculis ciuitas mentis;
et cum se per uerba extra semetipsam eicit,
apertam se aduersario ostendit quam tanto ille sine labore superat,
quanto et haec eadem quae uincitur contra semetipsam per multiloquium pugnat.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 7.37 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.379,
ll.60-65).